

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

15 April 1998

Translate **ALL** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Dante: Questions on the nature of earthly monarchy

Resummens igitur quod a principio dicebatur, tria maxime dubitantur et dubitata queruntur circa Monarchiam temporalem, que comuniori vocabulo nuncupatur `Imperium'; et de hiis, ut predictum est, propositum est sub assignato principio inquisitionem facere secundum iam tactum ordinem. Itaque prima questio sit: utrum ad bene esse mundi Monarchia temporalis necessaria sit. Hoc equidem, nulla vi rationis vel auctoritatis obstante, potissimis et patentissimis argumentis ostendi potest, quorum primum ab autoritate Phylosophi assummatur de suis *Politicis*. Asserit enim ibi venerabilis eius autoritas quod, quando aliqua plura ordinantur ad unum, oportet unum eorum regulare seu regere, alia vero regulari seu regi; quod quidem non solum gloriosum nomen autoris facit esse credendum, sed ratio inductiva. Si enim consideremus unum hominem, hoc in eo contingere videbimus, quia, cum omnes vires eius ordinentur ad felicitatem, vis ipsa intellectualis est regulatrix et reatrix omnium aliarum: aliter ad felicitatem pervenire non potest.

2. Baudri of Bourgeuil describes the amazing map on the chamber floor

Ecce pauimenti structura canenda fuisset;

Sed refugit sensus, mensque ueretur hebes.

Quis siquidem mundum comprehendere carmine posset?

Namque in eo mundi forma recensata fuit.

Quippe pauimentum mundi fuit altera mappa;

Hic uideas terre monstra marisque simul.

Res designabant superaddita nomina rebus;

Sic ea cura sagax pinxerat artificis.

Ne uero puluis picturam lederet ullus,

Tota fuit uitrea tecta superficie.

Ipsa superficies Vitreum Mare nomen habebat,

Lucida materies lucidiorque uitro.

3. Thomas of Monmouth begs indulgence of the reader

Vnde lectorem premoneo, siquis tamen hec amore captus legere uoluerit, sub huius opusculi serie non eloquentiam, non uerborum leporem querat, sed magis inuidis siue detrectoribus pro me respondeat, nouo scilicet operi ueniam concedendam. Hec autem dico, non quo studium nostrum quasi sub excusationis nubilo insolenter extollam, sed quo sudoris conscius ad lectionem nouam desiderantes inuitem. Viatores non nunquam gratiorem habuere aquam breuis uene stillantem fonticulo cum siciunt quam profluentes fontis riuos quorum copiam sitis tempore non inueniunt. Sed et hortorum amena mirantibus herbe agrestes non nunquam placuerunt. Illud etiam plerumque contingere solet Virgilianum quod *alba ligustra cadunt, uaccinia nigra leguntur*. Excusat utique materia scriptorem: cui enim uerborum abiecta displicuerit multiplicitas sensus saltem fidelis non displicebit ueritas. Malui siquidem uerecundiam meam negligere quam tot ac tantas sacri martyris Willelmi uirtutes obliuione uel ignorantie situ ueterascere.

4. Alan of Lille: The goddess Natura lays down the law on sex and grammar

Cum enim, attestante gramatica, duo genera specialiter, masculinum uidelicet et femininum, ratio nature cognouerit, quamuis et quidam homines, sexus depauperati signaculo, iuxta meam oppinionem possint neutri generis designatione censerī, tamen Veneri sub intimis ammonitionibus minarumque immensis iniunxi tonitruis, ut in suis coniunctionibus ratione exigentie naturalem constructionem solummodo masculini femininique generis celebraret.

Cum enim masculinum genus suum femininique exigentia habitudinis genialis adsciscat, si eorundem generum constructio anomale celebretur, ut res eiusdem sexus sibi inuicem construantur, illa equidem constructio nec euocationis remedio uel conceptionis suffragio apud me ueniam poterit promereri. Si enim genus masculinum genus consimile quadam irrationabilis rationis deposcat iniuria, nulla figure honestate illa constructionis iunctura uicium poterit excusare sed inexcusabili soloecismi monstruositate turpabitur.